

te se ad angulos rectos interfecet, noctes dierum artificia-  
 lium magnitudinem nunquam superent. Quemadmodum  
 verò Latini à nocte, ita Græci à die ei nomen imposuerunt, &  
 ἰσημερινόν æquidiale appellarunt. Dicitur etiam à priscis est  
 cingulum mundi & primi mobilis, quod super eo vel saltem  
 super axibus eius quotidianus seu primus fiat motus, & à Pto-  
 lomæo linea, circulus seu orbis æquationis diei. Vocatur &  
 parallelorum maximus & medius ratione Tropicorum, Pola-  
 rium aliorumque his parallelorum.

§. 3. Æquatorem rectè dici circulum nemo dubitare  
 potest, qui vel à frontispicio Euclidem salutavit definientem  
 circulum per figuram planam, ad quam ab uno puncto eo-  
 rum, quæ intra figuram sunt posita, cadentes omnes rectæ li-  
 neæ inter se sunt æquales, vid. lib. I. def. 15. Hunc alii hoc modo  
 describi dicunt, ut nempe à centro mundi per centrum solis  
 dum est in principio  $\nabla$  vel  $\triangle$  imaginentur duci lineam re-  
 ctam, quæ spacio 24. horarum describat hunc æquinoctialem  
 circulum sed quia Sol nunquam facit integrum circulum, nec  
 ad idem revertitur punctum ob motum proprium, quem ha-  
 bet ab occasu Orientem versus, rectiùs fortassè quis dicat Æ-  
 quatorem describi à linea recta, quæ à centro mundi ad ini-  
 tium  $\nabla$  vel  $\triangle$  primi mobilis extenditur. Ex circumductione  
 quippe hujus in die naturali exactè is designatur. Noctu verò  
 viso cingulo Orionis & sinistra alâ  $\pi$  tendendo per viam la-  
 ctæam, vestigia semiperiphæriæ Æquatoris notantur.

§. 4. Concipi verò, ut reliqui circuli, debet in cælo  
 ἀνάσσω ceu omnium circulorum receptaculo; neque multum  
 interest, an in concava an in convexa superficie id fiat. Sed  
 tamen quia nos in centro sumus universi concavam intue-  
 mur cæli superficiem, cogimurque quodammodo in eadem cir-  
 culos locare præsertim mobiles; immobiles enim Horizon-  
 tem & Meridianum, quia ad motum sphærae non moventur  
 externos faciunt & in convexa superficie constituunt artifi-  
 ces. Non verò putandum ita nudè fingi & pingi Æquatorem  
 aut alios circulos uti Chimæram aliquam, hoc enim interest  
 discriminis, quod prior fictio habeat occasionem in re funda-